

# De canonicis Scripturis decretum ex Concilio Tridentino, sessione quarta.



**S**ACROSANCTA œcumenica, et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut, sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur. Et intra :

Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti : Testamenti veteris : Quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium : Josue, Judicum, Ruth : Quatuor Regum : Duo Paralipomenon : Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias : Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch,

Ezechiel, Daniel : Duodecim prophetæ minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias : Duo Machabæorum, primus et secundus. Testamenti novi : Quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, et Joannem : Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti : Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli : ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos : Petri Apostoli duæ : Joannis Apostoli tres : Jacobi Apostoli una : Judæ Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens, et prudens contempserit, anathema sit